

Käuflich erworben  
von der M. B. Halle



Freiherr v. Ende-Miljeßnitz



*Quod DEUS bene vertat!* **XI.**

DE  
CONCEPTIS A SE  
**RELATIONIBVS**  
AC DEDUCTIONIBUS CAUSARUM  
FORENSIUM  
**VNAM**

*PRO CATHEDRA*

MATERIAS TUM JURIS PUBLICI  
TUM PRIVATI, COMPLECTENTEM  
*PRO SOLENNITER CONSEQVENDIS*  
HONORIBUS *atq;* IMMUNITATIBUS  
**JURIUM DOCTORIS**  
IN ACADEMIA, QUÆ GISSÆ EST,

*H. L. Q. C.*

VENTILANDAM EXHIBET, DEFENSURUS EAM

**ABSQUE PRÆSIDE**

JOAN MELCHIOR *Hinüber* / SYNDICUS  
STATUUM DUCATUS SAXO-LAUBENBURGICI,

---

Typis JOH. REINHARD. VULPII Acad. Typ.  
*ANNOM DCC II.*

XI

Quod DEUS bene vertat

DE  
CONCEPTIS A SE

RELATIONIBVS

AC DEDUCTIONIBVS CAUSARUM

TORNSIUM

VNAM

PRO CATHEDRA

MATERIAS TUM IURIS PUBLICI

TUM PRIVATI COMPLETENTEM

PRO SOLVENDIS ET VIVENDIS

HONORIBVS ET PRIVILEGIIS

JURIS DOCTORIS

IN ACADEMIA QUAE GISSAE EST

SENTENTIAM EXHIBUIT SEPTENNIS PAM

ABSOLE PRÆSIDI

JOAN MELCHIOR SCHUBERTUS

STATUM DUCATUS SAXONIAE

Typis JOH. NEUBERGERI

MDCCCLXX





## EPIMETRA

*Argumentorum variae disciplina.*

Quemadmodum eadem lectiones & negotia,  
in itinere ac diversoriis, vel aliud sæpè agenti, suggererunt:  
Suppeditandæ uberioris ad disputandum materiæ causâ,  
more solito, hîc subjuncta.

- I. Vulgatum illud: *Tantum scimus, quantum memoriâ tenemus, quidam sic emendant: quantum intelligimus, tantum scimus. Nos ita: *Tantum scimus, quantum nos scire, ubi opus est, probamus.**
- II. In gloriam Dei, & revelatum ejus verbum injurios esse putamus Gallos, quando Regem suum, *suprà omne id quod dici potest, magnum esse jactant.*
- III. De spinosâ illâ Theologorum & Juris-Consultorum lite, Num Leviticorum cap. 18. personæ an gradus prohibiti sint, si exercitii causâ dicere licet, quæ sit opinio nostra, putamus personas illo loco expressas, simpliciter, gradus autem, certo respectu v. g. parentelæ, communis sanguinis & gradus, similique, interdictos esse.
- IV. Jus Naturale, Dei existentia non suppositâ, ne fingi quidem posse, statuimus.

):(

V. Tan-

- V. Tantum de quantitate acquifitorum *folius ingenii viribus* ad collectas conferri, quantum de pari quantitate facultatum, *corporis & manuum robore* conquifitarum, à fubditorum quovis, ex proportione, contribuitur, iniquum cenfemus.
- VI. *Enimvero* illi inauguralis commentationis, fuperiori anno hic habitæ: In caufâ noni Electoratus prohibentium conditionem potiorem effe: Nos contradiâtoriam oppofitam effe volumus, eamque, fi qui oppofituri funt, pro virili tuendam nobis fumemus.
- VII. Celfus Mancinus Ravennas, Canonicus Regularis Lateranenfis, Romæ, Anno 1596. libros novem de iuribus principatum excudi fecit, in quibus, pag. 388. defendit, Principem *in eligendis confiliariis* prudenter facere *fi ad folam virtutem* attendat, non, uter eorum popularis, an advena fit. Quam fententiam noftram facimus.
- VIII. Claufula derogatoria, conftitutioni Imperiali Carolinæ de Anno 1529. inferta, vim habet tollendi & priora & posteriora flatuta.
- IX. Proteftationes, fimilesque actus fingulares, etfi nomine Ducum Saxonix celebrati, non tamen ad Duces familie Saxo-Lauenburgicæ extendi poterunt, nifi horum nomine fpeciatiim interpofiti doceantur.
- X. Legem 45. §. 7. de iure fisci, quâ eum, qui acta aliter ac fcripta funt, profert, caufâ cadere declaratur, nihil obftat, multo magis de protocollo judiciali ac fententiâ intelligendam effe.
- XI. *Non cogitur* illam, nihil dici, quod non fit dictum prius, ficuti tutò fallam effe afferere licet, ita eam, fi fic effatur: *nihil cogitari, quod non fit cogitatum prius, exifti*.

iffimamus credibiliorem esse, præsertim in disciplinæ  
iudicii, non ingenii, aut inventionis.

- XII. Fundata est jurisdictio Camerae Imperialis contra citandos ex lege diffamari, si matriculae Camerali inscriptus, ibidemque praxi operam dans, diffamatus fuerit.
- XIII. Privilegia Doctorum solo non usu non amitti, cum Felmanno atque Itero asserimus.
- XIV. Qui aliquem ejus quam profitetur disciplinæ imperitum, aut honore quem adeptus est, indignum dicit, reus quidem injuriarum esse potest, non tamen sacrilegii. Sunt enim qui enorme hoc crimen incurrere ajunt, ita de principali iudicio dubitantem, sed per enormem *l. 3. C. de crim. sacrileg.* interpretationem.
- XV. Quod Anthonius Matthæi tradit, *si Nobilis Procurator fiat, non ideo amitti nobilitatem, cum nullo id prodirum juris loco, nec hac ratione præripienda nobilibus quærendi victus ratio sit*, illud & de Doctoribus juris, si his fortuna tam difficilis fuerit, affirmandum esse, non dubitamus.
- XVI. Pluribus dignitatibus eminent, præferendus est ei, qui unâ tantum ex illis, vel paucioribus, conspicuus est.
- XVII. Tenendum tamen imprimis est illud Pufendorffii: *Inter privatos super honore atque eminentia illud pulcherrimum fuerit certamen, quis promptior fuerit in honore deferendo, aut modestior in eodem deprecando. Et merito videntur, qui super isto acrius certaverint; præsertim, ubi idem sterilis, & nullo cum emolumento fuerit conjunctus.*
- XVIII. Marcus Anthonius Sabellus, Auditor quondam Rotæ criminalis, apud Magnum. Hetruriae Ducem, præmis-


præmisit Summæ suæ diversorum tractatum, quæ Venetiis Anno 1692. prodiit, Compendium tractatus Gabrielis Alvarezii, de Velasco, de judice perfecto, cujus hunc fecit Epilogum:

Qui igitur Judex cupit esse perfectus  
sit:

- |   |   |
|---|---|
| 1. Castus & pudicus.                      | 4. Habitu & cultu modestus.                                       |
| 2. Perquisitus & rogatus.                 | 5. Incessu compositus.  |
| 3. Taciturnus & secretus.                 | 6. Solitarius,  |
| 7. Aspectu vehementi & formidabili malis. | 15. Inadulabilis.   |
| 8. Oculatus Argus.                        | 16. Immisericors contra improbos foris, & intus charitate plenus. |
| 9. Humilis & non superbus.                | 17. Inexorabilis, erectus & arduus.                               |
| 10. Reverendæ tristitiæ.                  | 18. Vi & Majestate potens.  |
| 11. Gravis sine fastu.                    | 19. Æquitate & veritate terrificus.                               |
| 12. Sanctus.                              | 20. Librorum cumulo circumdatus & studens.                        |
| 13. Severus.                              |   |
| 14. Incorruptus.                          |   |

An rectè hæc omnia? Domini opposites, exercitii causa  
me has regulas defensurum, si lubet, monebunt.





**F**it meritò *Doctor*, solidas qui rite probavit  
Juris Doctrinas, *in cathedrâ, inque foro.*

*viro Nobilissimo Dn. Hinybero, pro Licentiâ  
disputanti & ab hinc insigni cam applau-  
su creato Doctori, l. m. g. apposuit,*

JOANN. NICOLAUS HERTIUS  
J. U. D. & P. P.

---

**Q**uos dudum meritis capit *HINTBERUS*  
Honores

*Hos Deus omnigenâ prosperitate beet!*

Ita breviter, sed sincero pectore Nobilissi-  
mo Consultissimoq; Viro de Honoribus  
Doctoralibus gratulatur, dignam ma-  
gnis suis meritis felicitatem apprecatus.

BERNH. LYDOV. MOLLENBECIUS  
D. P. P. & Fac. jurid. h. t. Decan.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.





CIVILIS ET JURIS-  
PRUDENTIÆ  
STUDIOSO LECTORI

S. D.

JOAN. MELCHIOR.

*Himyer.*

**E**loquentiam Juris Consul-  
ti, in foro ac tribunalibus occupati,  
imò usum juris scientiæ omnem,  
quadruplici exercitationum genere,  
nimirum *cauendo, postulando, respondendo, ac ju-*  
*dicando,* constare, adè non eget demonstratio-  
nis alicujus, ut experientia ipsa, rerum etiam fo-  
rensium magistra, nescientem vel dubitantem

A

per-

perspicuè hoc doctrina sit, & ob oculos positura. Quocunque autem modo agat in foro & exerceatur juris peritus, semper ars & prudentia ejus circa actiones hominum, facta & negotia civilia, vim suam & officium exserit, exserit inquam, sese, si breviter dicendum est, in *Applicatione Juris ad factum*. Scilicet omne factum aut negotium, quod Juris Consultus pro objecto habet, considerandum esse puto, vel, ut conficiendum, vel, ut confectum; *Illud*, quod nondum de præteritis est, *consilio* ipsius & *cautionibus* indiget, necubi erret, fallat aut decipiatur is, qui vel in publicis vel privatis rebus habet, quod negotietur. Alterum facti genus, aut negotium confectum, *Vel* defendit in foro, quod *postulantis* est,

l. 4. c. de adv.  
div. jud. add.  
l. 14. ibid.

vid. præf. ipsi  
dissertationis,  
scriptæ sub ti-

atque ad laudabile illud vitæque hominum necessarium *advocationis* officium pertinet, de cujus, si ad conscientiam exigatur, hodiernâ difficultate, eleganti, ac literatissimo dictionis genere, quo & in cæteris operibus suis utitur, disseruit Marpurgensis Academiae celeberrimus Antecessor, O. P. Zaunschlifferrus:

rus: illud præcipuè scripto illo docens: non  
semper Vatiniani illius, quod miseros Advocato-  
tos persequitur, odii, causam in malo advocati  
genio aut ingenio, sed sæpè in argumenti aut  
objecti qualitate, vel iudicis indiscreti iniquita-  
te latere. *Vel* super eodem de Jure respondet,

quod in genere Juris Consultorum omnium  
est, qui facultatem de jure respondendi non  
tam habent, quàm præstant. Mavult enim  
ipse Sacratissimus Imperator, cum optimo  
Principe Hadriano, ab iis, qui fiduciam studio-  
rum habent, facultatem illam non pro benefi-  
cio peti, sed præstari.

*Vel* deniq; factum in  
judicio controversum voto ac sententiâ suâ de-  
cidit Jure Consultus, & tùm *judicis* personam  
sustinet, quem sui officii tam præclarè admonet  
Eloquentissimus olim Consul Romanorum,  
Marcus Tullius, ut ab homine Christia-  
no nihil sanctius de eodem cogitari aut dici  
posse existimemus, quando ait: Cum verò ju-  
ratò dicenda sententia sit, meminerit judex  
Deum se adhibere testem, id est, ut arbitròr,  
mentem suam, qua nihil homini dedit ipse De-

tulo: Epistola  
ad Justum Sin-  
cerum Veron-  
ensem.

l. 2. §. 47. c.  
O. I. add. l. 14  
§. ult. c. de As-  
sess.

Cic. Lib. III.  
Offic.

us divinius. Audiamus eundem etiam, de uni-  
 verso, quod recensemus, Juris Consulti officio:  
 Idem de Orat. Si quæreretur, inquit, quisnam Jure Consultus  
 verè nominaretur, eum dicerem, qui legum &  
 consuetudinis ejus, quâ privati in civitate ute-  
 rentur *Et ad respondendum Et ad agendum Et ad  
 cavendum peritus* esset. Scitè dictum! sed,  
 quemadmodum ex superioribus patet, adden-  
 dum erat quartum & summum veri juris Con-  
 sulti munus, *judicandi* nempe *peritia*: Deinde  
 angustis nimiùm cancellis circumscribit juris-  
 peritum suum Cicero, quando nec civitatis jus  
 publicum, nec jura Gentium inter gentes, ad  
 eum pertinere voluit. Illud ipsum enim, quod  
 qui eum sequuntur, in ore habent, si violandum  
 est jus, violandum est Reipublicæ causa, in aliis  
 rebus justitiam colas, hoc ipsum, inquam, ar-  
 guit perperam dici, in deliberationibus publi-  
 cis, nec juris, nec juris Consulti, rationem habe-  
 ri. Utiq; enim necesse est, in deliberatione hujus-  
 modi prius dijudicari, an aliquid juris & quale  
 illud sit, quod Reipublicæ causâ violari debeat?  
 Atqui hoc Consiliarius non definit, quâ vir po-  
 liticus, sed quâ juris Consultus. Quanquam  
 valde

Græcos versus  
 Euripidis de  
 Phœnissis ver-  
 tit Cic. lib. III.  
 de Off.

valde verendum est, ne prudentia illa civilis, quæ creditur quandoque dictare actiones ad felicitatem civilem non posse utiles esse, nisi sint injustæ & inhonestæ, pro dissimulatâ quâdam impietate, & injustitiâ potiùs habenda sit.

ΜΟΝΟΝ ΑΓΑΘΟΝ, ΤΟ ΚΑΛΟΝ! Sola bona, quæ honesta!

Quod à sapientibus, à magnis animis, ab Heroibus mutuatum, & à gloriosissimis Ducibus Brunsvico - Luneburgicis in gentilitium lemma translatum monitum, generosè præferendum est pseudopoliticorum perniciosæ illi sententiæ. Sanè, viri boni prudentia, quæ in actionibus cernitur, & in societate, præcipuè civili, eò semper fertur, ut speciem tantùm utilitatis pro re publicâ habere statuat actiones, quæ honestæ non sint, ac justæ. Quæcunque autem prudentia hoc modo circa actiones in societate, ut justas versatur, ea est jurisprudentia; hanc autem, seu prudentiam cavendi & consulendi de jure, quâ ratione à publicis excludere potestis, qui inficiamini non pertinere eadem ad juris Consultos? aut quâ ratione negari posse existimatis, eos circa negotia legitimè conficienda prudentiam exercere? nec

pertinere ad hæc, consultanda scilicet, publica illa ferendarum legum, constituendorum magistratuum, ordinandorum Judiciorum, & reliqua capita, non potestate legislatoriâ aut judiciariâ, quippe quæ illius solum est, qui summo in civitate imperio fungitur, sed habitu prudentiæ legislatoriæ ac judiciariæ constituenda. Si obijcitis, multa tamen juris Consultis non adhibitis & consultari & effici: Respondet vobis Summus Germaniæ Juris Consultus: Nec hoc negandum esse, sed nec affirmandum, quod fiat id sine juris peritiâ. Hæc & apud alios est, ac qui illud nomen ex professione vel titulo sumunt; nec ea dictorum mens, titulares Jctos, aut saltem consiliis aptos, aut semper adhibendos esse. Non est apud hos sola, aut privativè ipsis concessa, quod falso errore insinuat simplicium imaginationi, tanquam non sit jus extra juris doctorum titulos, ut Vulgus fere opinatur, non esse doctos, nisi audiunt Doctores. Est & aliorum ista, & quidem sapius solidior dexteriorque sapientia, quam non facit, sed indicat titulus, & omnium Politicorum, præsertim qui à Consiliis sunt, esse debet. Hæc ME-

VIUS,

MEV. in Nucl.  
J. N. & G. In-  
spect. ult. pag.  
m. 483.



virus, qui & egregiè tuetur, quòd licet actiones sub præcisâ ratione utilis considerari possint, tamen, quæ id facit, politica, in praxi, à juris prudentia malè se divelli patiatur, præsertim ab iis, qui Reipublicæ in aulâ, curiâ, & judiciis operam navant.

Equidem prudentiam hanc cavendi & consulendi, primo loco nominavi, sed non nisi <sup>μεθοδικώς</sup> postremo aut summo potiùs locandam, si præstantiam ac difficultatem ejus consideres, quâ cœteras omnes Juris Consulti functiones superat. Differre enim nobis videtur à prioribus, quemadmodum differt compositio à resolutione, vel imitatio à censura, de quâ, si in ignavam reprehensionem declinet, notum est illud: ΠΑΘΩΝ ΜΟΜΕΙΣΘΑΙ Η ΜΗΜΕΙΣΘΑΙ. Sanè in cautionibus, præsertim circâ publicas res, & ea, quæ ad populorum inter populos negotia pertinent, illud, quod in reliquis Juris Consulti muneribus sufficere potest, ingenium & judicium lentum, & meditatione firmatum, hîc requiritur magis promptum, sagax & exercitatum. Qui postulant, respondent, judicant, si perorandi aut scribendi operam excipias,

pias, per analysin quandam operantur, sed qui in rebus ac negotiis, tùm publicis, tùm privatis, consilio juvare, circumventiones præcavere, vivorum & moribundorum actus legitimos validosque reddere contendunt, eos contrariâ viâ progredi, & per Synthesin quandam agere necesse est. Versantur enim circâ futurum, versantur in dirigendis negotiis, & consilio munendis hominum actionibus: reliqui verò de negotiis & factis vel defendendis, vel secundum juris & æqui regulas, excutiendis, vel inter litigantes decidendis, solliciti sunt.

Quas omnes juris Consultorum functiones, etsi non desint, qui & regulis & exemplis informaverint, non æquè tamen abundant, qui de cautionibus in publicis rebus, ac negotiis civitatum cum civitatibus, consiliarium instruant. Nam de privato jure pleni sunt omnes libri, plenæ Bibliopolarum tabernæ, plena librorum tam publica, quàm privata conditoria, ut cautelarum, processuum, responforum, sententiarum, ac decisionum, copia, possessores suos non rarò inopes faciat. In publicis, & juris prudentiâ universali, qui de rectè cavendo & consulendo, regulas juris aut exempla dederint, in  
Uni-

universum nemo est. Grotius & Pufendor-  
fius, illustris & æternæ memoriæ viri, multa suis  
operibus prodiderunt, quæ ad hoc argumen-  
tum spectant; Sed minimè gentium est, ut sta-  
tuamus, sufficere eos, aut addendum nihil reli-  
quisse. Luculento specimine hoc nuper osten-  
dit, Dominus Waldner de Freundstein, Eques  
Alsatus, qui illud prudentiæ hujus caput, quod  
de pactationibus publicis est, pertractandum sibi  
sumsit, editâ tamen solùm parte, quâ de iis validè  
ineundis agitur, eamque appellavit *commenta-  
tionem de firmamentis conventionum publicarum.*

Præfatur illustris Autor, se examina omnia,  
quæ ad inaugurationem Doctoris requiruntur,  
subiisse, suamque dissertationem pro Inaugura-  
li publicè tuitum esse; Quod certè raro, non  
unius seculi exemplo factum esse, vel ipsi fate-  
buntur, quos non nisi à genere & natalibus ge-  
nerosos nuncupamus. Scripsit ante hæc de eo-  
dem argumento, nempe ad conventiones pu-  
blicas, observationum Historicarum, & Politi-  
carum singularem librum, è Gallis, Amelotus  
Hussæus, qui secundo Tomo collectioni Bel-  
giæ actorum & publicarum conventionum  
adjunctus est. Optaremus cum omnibus, qui  
hæc

Traité faits  
entre les Rois  
de France &  
tous les Prin-  
ces de l' Euro-  
pe, de puis le  
Regne Charle  
VII.

Recueil des  
traité des pais,  
de trêve, de  
neutralité, de  
suspension  
d'armes, de  
Confedera-  
tion, d'allian-  
ce, de com-  
merce, de gua-  
rantie, & d'au-  
tres actes pu-  
bliques, com-  
me contracts  
de mariage,  
testaments,  
manifestes,  
declarations  
de guerre, &c.  
faits entre  
les Emperours,  
Rois, -- de  
puis la Naif-  
sance de Jesus  
Christ, jusqur'  
à present. Ser-

hæc studia amant, opera illa perillustri virò, non  
pariter defuisse, quemadmodum sibi intento  
in hunc laborem, non suppetiisse refert, *opus  
conventionum inter Gallia Reges & omnes fere or-  
bis terrarum Principes & Respublicas, à Caroli  
VII. regno, usque ad presens Ludovici XIV.  
Imperium.* Ab hoc enim, Tomos illos Batavos  
longè alios esse, indicat horum titulus, qui est:  
*Collectio tractatum pacis, induciarum, neutra-  
litate, armistitiorum, confederationum, ligarum,  
commerciorum, Asserationum, con-  
tractuum matrimonialium, te-  
stamentorum, declarationum belli alio-  
rumque actorum publicorum & conventio-  
num*

vant à établir les droits -- Le tout redigé par ordre Chronologique &  
accompagné de Notes, de Tables Chronologiques & alphabetiques &  
de Noms des auteurs, dont on s'è servi. *Tome premier* contenant  
les prefaces & les traités de puis DXXXVI. jusq'en MDI. A. Amsterd.  
chez Henri & la veuve de T. Boom à la Haye, chés Adrian Meetgens,  
Henri van Bulderen. MDCC. *Tome second*, contenant les observa-  
tions Historiques d'Amelot de la Houffaye, & les traites de puis MD.  
jusqur' en MDC. *Tome troisieme*, contenant les traités depuis MDCl.  
jusquen MDCLXI. *Tome quatrieme* contenant les traites depuis  
MDCLXI. jusqur' en MDCC. & la table generale & alphabetique des  
quatre volumes.

*NUM* inter Imperatores, Reges, Principes &c. à  
Nato Christo usque ad Annum MDCC.

Hæc de generibus exercitationum, quibus  
tota Juris Consulti <sup>πράξις</sup> constat, in quâ, quan-  
tum quisque præstat, tantum ad veri & perfecti  
Juris Consulti exemplar & <sup>κατέδωκεν</sup> accedit.  
Eti verò, ut supra dictum, harum operatio-  
num species nulla sit, quam non & præceptis  
& exemplis informatam habeamus, nemo ta-  
men faciliè asseret, ita nos iis abundare, ut in  
omni argumento ad cavendum, agendum,  
respondendum, judicandumve, nullâ vel ma-  
gis perspicuâ & ordinatâ, vel pleniore, vel  
quandoque etiam aliâ doctrinâ egeamus.  
Quare ut cupiditatis sciendi nullus finis, lau-  
dandusque omninò est, qui cum illo veterum  
etiam alterum pedem in tumulto habens adhuc  
cognoscere & discere aliquid gestit, aut qui  
cum Solone amat, se quotidie aliquid addi-  
scentem senem fieri, Ita & institutionis &  
scribendi nullus esse finis nec potest, nec debet:  
Judicio etiam sacri scriptoris, Regum sapien-  
tissimi, qui librorum conscribendorum nul-  
lum

Cic. de Senect.  
§. 26.

Ecclesiast. 12.  
v. 12.

lum nec modum, nec finem esse ait. \* Scilicet, ita est, nullus delectus esse potest sine copiâ; quæ, si quos inopes relinquat, aut inanes suos dominos planè confundat, non ipsius, sed misellorum, sed imbecillitatis vitio, & iudicii discretivi defectu, id fieri dicendum est. Itaque & in hodiernum diem in pretio sunt, quæ à viris doctis vel muneris, quo funguntur, ratione, vel honestissimo acquirendæ bonæ estimationis studio, vel à dignis honorum Academicorum *candidatis*, specimina edi, & variis de rebus, benè elaborata, in lucem prodire conspiciamus.

*Hos inter*, ut, hæc scribens, nomen meum, quasi postliminò professus sim, occasionem dedit. Iter Wetzlariense, susceptum partim voluntate Statuum, quibus à Syndicatu sum, partim eorum, qui suis in causis operâ& consilio meo utuntur. Nam quia duæ, ex tribus Hassiæ inclytis Academiis, publico cursu pertran-

\* Si cui volupe est interpretem ad hunc locum audire, afferemus verba celeberrimi Argentoratensium Theologi, Sebastiani Schmidii: Arbitror, inquit ille, Ecclesiastem de quibusdam libris non loqui, sed de falsis, divinis, & factis, qui obtruduntur, quales inter gentiles semper fuerunt de falsis Diis & eorum operibus, aut veram religionem & fidem saltem corrumpentibus. Hæc Smidius, commentario suo in *ibrum Salomonis Regis Koboletb.*

transeundæ sunt iis, qui existis oris, unde ego,  
adveniunt, incessit, conspectis hisce Musarum  
sedibus, ubi

Secundis usque laboribus

Germana pubes crescit,

Et faultis sub penetralibus,

Doctrina vires promovet insitas,

Rectique cultus pectora roborant.

Horat. lib. 4.  
Od. 4.

Incessit, inquam, de reditu cogitantem, nescio  
quæ, domesticis approbata votis ambitio, ca-  
pessendi honores illos, & laureas,

quas mitis Apollo  
frontibus implectit, studiorum præmia, doctis,

Factum inde est, ut cùm circà augustis-  
simum Imperialis Camerae Tribunal hæren-  
dum, & altera, post unam, sententiarum pu-  
blicatio, expectanda mihi esset, meditari in-  
terea coeperim de argumento quodam, di-  
sputationi, ut vocant inaugurali, seligendo.  
Recordabar illicò speciminis alicujus, quod  
in Academiâ Salanâ, abituriens dederam, pos-  
se illud eo sine sub in eudem revocari, tyrocinii  
notas ab eodem abstergi, & problematum  
illorum, quæ celeberrimus quondam Asses-

for Camerae Imperialis, Ericus Mauritius, positiones juris feudalis controversi vocat, reliqua capita ita excuti, ut electâ alterutrâ quæstionis parte, cuique positioni ratio, quæ videretur maximè soloda, in vim decidendæ controversiæ, quemadmodum in eo, quod de jure Vasalli est, capite coepi, subjungeretur; sed executione hoc propositum desitui necesse erat idèd, quod Domo proficiscens, nondum de re Academicâ id, quod opus erat, statueram, atque hinc ea, quæ cum in finem etiam pro Dissertatione quâdam *de eo quod justum est circâ Tabacum*, privato studio, & horis à demandato munere, & forensibus operis, quodammodo vacuis, collegi, mecum non asportaveram. Dubitantem igitur ac deliberantem de idoneâ & dignâ solenni elaboratione materiâ quâpiam, ipsa causarum, quas in mandatis habebam, argumenta, manu quasi ducere in amplissimum campum videbantur. Nimirum & relectiones Scriptorum Cameralium, & ipsa causarum, quas dixi commissas mihi fuisse, tractatio, addo & crebræ colloctiones cum viris, quos summi



mi hujus fori usus præcipuè celebres fecerat, suggerebant non unum caput, rerum forensium, minimè satis expeditarum, speciatim illud, quod de sententiis non-devolutoriis, desertoriis, absolutoriis à citatione, & similibus, doctrinas continet. Itaque institueram de hâc materiâ commentari, & si quid dubii occurrisset, captatâ occasione, sententias peritorum exquirere, controversiarum & præjudicatorum, si qua suppetebant, copiam rogare, plurium commentatorum, quibus potiri poteram, tradita evolvere, & nec quicquam omittere, quod credebam perpoliendo non solùm, sed & exhauriendo, quantum fieri posset, scriptionis hujus argumento, conducere posse. Verùm intento eâ ratione huic negotio idem illud accidit, quod proverbio dicitur,

amphora cœpit, Horat. de art. poet. v. 22.  
institui, currente rotâ, cur urceus exit?

Postquam enim currente studio, & sudante calamo, non pauca collegeram, meditando excusseram, ac disponere orsus fueram, deprehendi demum, causas earum sententiarum

rum non paulo latiùs extensas, ideoq; & altiùs repetendas & accuratiùs tractandas esse. Quare mutato Schemate & diducto velo, thema mihi figebam : *de vitiis & peccatis in forma processus, eorumque præjudiciis, ac pœnis legalibus, deque remediis, quæ ex his capitibus lesis, competere possent.*

Quo termino meditationum constituto, pergebam texere hanc telam, sed ejusmodi telam, quam progrediente operâ, res monstrabat, impossibile esse, ut intrâ angustiam temporis, quo retrocedendum erat, absolveretur. Excreverat enim labor non parùm ultra modum & mensuram illam, quâ cathedrariæ disputationes, etiam proluxiores concludi solent, quando nondum vel tertia parte, memet mihi ipsi satisfecisse videbam; tantum aberat, ut sperare possem, commentationem hanc placituram esse iis, qui jure meritoque ita materiam quamque tractatam requirunt, ut & clarè & distinctè & plenè  
(at

(at quam vastum hoc verbum est?) propo-  
 sita sit, aut saltim, ut novus scriptor, quia re-  
 bus humanis semper aliquid dandum est, plu-  
 ra de argumento attulerit, quàm ante se quis-  
 quam alius. Quod tamen ad eos ex Acade-  
 micâ juventute non spectare sentimus, qui  
 præceptis institutisque jurium disciplinæ per-  
 ceptis, progressum à Theoriâ ad praxin, &  
 abiturum à Scholâ ad forum moliuntur. Hos  
 enim satis esse videtur, specimine suo id sal-  
 tem ostendere, quòd cruda studia in forum  
 non afferant. Neque etiam quod Jacobus  
 Acontius in physicis optat, ( ut provideri pos-  
 set, ne in publicum quisquam scriberet, nisi  
*novum quid*, quod & propriæ esset observa-  
 tionis, & Dei gloriam, Ecclesiæque ædifica-  
 tionem spectaret, ac unde tantus sperari pos-  
 set fructus, ut dandum ejus lectioni tempus  
 non meliùs collocaturi sint alibi Lectores, ne  
 scilicet actum quicquam agatur, sed *agen-  
 dum*,) illud, quoad novitatem rei, ad cœteras  
 omnes disciplinas, etiam quæ non sunt in-  
 ventionis, aut memoriæ, sed solius judicii,  
 referri, aut extendi, è re literariâ & didacticâ  
 esse

Statut. Acad.  
 Giessens. t. 67.

Citante Co-  
 menio in præ-  
 fat. ad phy-  
 sic.

esse putamus. Etsi vero leges hasce, quas nobismet ipsi præscripsimus, neglectui habeat fex illa scripturientium, qui foetus suos immaturos, cum ridiculis elogiis, quibus culpam aut in typographum urgentem, aut nundinas, aut clepsydram, aut nescio quid aliud muliebre, conferunt, foras extrudere solent (excipio, si quos publici muneris ratio urserit) tamen respuit & refugit animus, objurgando horum exemplo, molem inanium scriptorum, quibus onustæ sunt librariorum tabernæ, nondum satis elaborato opere quodam augere.

Quid igitur, inquires benevole Lector, pro specimine nobis afferes, quo & solennibus inaugurationi tuæ satisfacies, & unde colligi queat, Te gradibus illis honorum, quos affectas, non indignum esse? Respondeo, me illud afferre, quod titulus fururi actus disputatorii præ se fert, nimirum specimen, aut, si mavis, specimina, medio de foro petita, de foro autem supremi Camerae Imperialis iudicii, foro illustrium, gravissimarum, ac difficilimarum causarum ad exundantiam pleno.

Quas

Quas inter unam, ex ratione publici, quo fungor, officii, suis exactis relatam nunc exhibeo, adjectâ deductione juris, elaboratâ juxta modum, qui votis pro justitia ferendis, stylo judicii Cameralis præscriptus est. Alteram offero, ut patronus ejusdem, pro generosis clientibus: utrobique typum volentibus iis, quorum partes Consilio & postulatione sustinendas suscepi: in alterâ causâ publicationem refutationis, etiam parte adversâ provocante.

Cæterùm malui hæc *πραγμα* arripere, quam illorum, quæ supra dixi, in manibus me affecta habere, operum quicquam non satis concoctum, sub specioso, sed inani titulo (quem quota quæque disputatio non præfert?) in lucem edere. Quoniam nostrâ sententiâ, circâ Doctorem Juris, qui nisi practicus est, nullus est, non tam quæritur, quam multa de argumento proposito legerit, collegerit, ac disposuerit, sed quo ingenio & judicio in applicatione juris ad factum polleat? Id quod non rectiùs, quàm ex hujus generis speciminibus practicis colligi posse, res ipsa,

& ratio cuivis dictat. Ut hætenus acutissimi ingenii ac celebratissimæ famæ Juris Consultus, C. Thomassius, non errasse videatur, quando facetè dixit: *hodiè communi Academicarum errore, pro fCto non haberi, qui thema aliquod, per illa quatuor genera causarum, summo cum ejusdem cruciatu, non fustigaverit.* Etsi nihilominus eam methodum minimè damnandam esse, sed actus rerum per causas optimè demonstrari posse, existimemus cum excellenti jurium Doctore, J. N. HERTIO, Professore scriptis & docendi munere in Lyceo Gießensi præclarissimè merenti.

Introd. ad  
Phil. aul. c. 12.  
§. 24. seqq.

Dissert. de  
juris prud.  
univ. sect. I.  
§. 22.

Tu nunc, benevole Lector, conatus nostros a qui boniq; consules, & si desideras, ut & foro approbemus hoc scriptionis genus, quod nullâ in quenquam injuriâ conceptum, de solâ veritate ac justitia disquisitorium est, primò ad notoriam, inprimis summorum Imperii judiciorum, consuetudinem provocamus; ad quam si respicies, non pauca hujus generis, tametsi longè dissimilis texturæ, scripta reperies. Deinde velim audias, si lubet, jure Consultum quendam Frisium, ita de hac re loquen-

loquentem : Interest Reipublicæ , ut arduarum causarum cognitio , litiumque magni momenti disceptatio , in vulgus hominum , maxime in conspectum magnorum Virorum , qui dicendo juri , & rei publicæ administrandæ præsent , proferatur , sic enim & causa ipsa omnium censuræ , judicioque subicitur , & judicium integritas cognoscitur , atque utra litigantium pars , pro justitiâ contenderit , intelligitur ; æquitas laude , iniquitas vituperio , & dedecore afficitur . Quam sententiam ex adductis rationibus ( quibus sacræ etiam literæ \* pondus addere possunt ) & ipso editorum speciminum nostrorum facto approbamus , & exemplis apud Klockium , Cothmannum , Wesenbecium , aliosque Celeberrimos Responsorum collectores , comprobata , illustratamque , rectissimè usu & actu frequentari censemus . Quod si quis nihilominus laborem hunc carpturus , objiciat , magis etiam de eo

Hero ab Inthiema disquisit. jurid. in causa Lyaukemana , contra Camsteranos , in Dedicat.

C 3

dici

\* Dicit enim Sanctus Joannes in Evangelio cap. 3. v. 21. Ὁ ποιεῖν τὴν ἀληθειᾶν ἐρχεται πρὸς τὸ φῶς. Sic etiam dicitur , quod veritas publicè se exhibeat in plateis . Item : Virtus veritas & justitia amant conspici , & quæ palam sunt , integritatis , probitatis , & rectitudinis animi signa & indicia sunt præclara . Quomodo loquentes videre est : Cothm. 5. Resp. 32. n. 22. Coler. de proc. exec. p. 1. c. 3. n. 43. alioque.

Prolegom. in  
libr. de J. B.  
& P. n. 38.  
Vol. V.  
resp. X. in  
præf.

dici posse, quod in responsa quædam collegiorum juridicorum, quandoque amore potiùs expetentium, quam veritatis & justitiæ data, cum Grotio, non pauci alii conferunt, illi idem respondere poterimus, quod gravissimæ cujusdam, apud Cothmannum, causæ, patronus habet: Quis alius, inquires, æquè cognitum habeat, quod in actis deductum sit, atque Advocatus? an non ille juris testis dicitur? Sed nec mihi credi volo, nihil est in toto hoc scripto, quod mea fide nitatur? Ad leges, ad tationes, ad Doctores, ad paxin, ad consuetudinem, ad Stylum Curix, ad documenta Actorum provoco. Si quid inde patebit, præter veritatem à me pronunciatum, mora nulla est, quin corrigam: modò idem faciant adversarii, quibus notum est, jam olim dictum: *Sano consilio utitur, qui malum revocat.* Nec enim levitas est, ut alicubi monet eleganter Seneca, à cognito & damnato errore discedere: & ingenuè fatendum est: *Aliud putavi, deceptus sum.*  
Hæc



Hæc verò superbæ stultitiæ perseverantia  
est: *Quod semel dixi, quaecunque est, fir-*  
*mum, ratumque sit; Denique: Non est tur-*  
*pe, cum re mutare consilium.*

*In facto enim jus positum est, in facto  
consilii ratio, in facto, si varia-*  
*verit, variandi & prudentia &  
necessitas!*

l. 52. §. 2. ad L.  
Aquil. & l. 1.  
§. Divus. ad L.  
Corn. de Sicar.

Scribebam Gissæ d. 16.

Decembr. MDC CII.





00 A 6324

ULB Halle


3

002 937 115



W 17







*Quod DEUS bene vertat!* **XI.**

DE  
CONCEPTIS A SE  
**RELATIONIBVS**  
AC DEDUCTIONIBUS CAUSARUM  
FORENSIUM  
**VNAM**

PRO CATHEDRA  
MATERIAS TUM JURIS PUBLICI  
TUM PRIVATI COMPLECTENTEM  
PRO SOLENNITER CONSEQUENDIS  
HONORIBUS atq; IMMUNITATIBUS  
**JURIUM DOCTORIS**  
IN ACADEMIA, QUÆ GISSÆ EST,  
H. L. Q. C.

VENTILANDAM EXHIBET, DEFENSURUS EAM  
ABSQUE PRÆSIDE  
JOAN MELCHIOR *Hinüber* / SYNDICUS  
STATUUM DUCATUS SAXO-LAUENBURGICI.

Typis JOH. REINHARD. VULPII Acad. Typ.  
ANNOM DCC II.

